

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 4: De aliis virtutibus Caput 17: De oratione (21)

Augustinus:

Frigus caritatis cordis silentium.

Frigus caritatis, silentium cordis est; flagrantia caritatis, clamor cordis est.

Proinde leva manus tuas in oratione quia levavit manus suas deus in cruce.

Augustinus Hipponensis, *Enarrationes in Psalms*, 37.14 (CCSL 38, E. Dekkers & J. Fraipont eds., p.392, ll.17-18).

Securus ergo manus leva.

Eius enim manus levate sunt, ut fideles eius possint inpetrare quod volunt.

Sed cum levatis,  
querite, quid petatis ab omnipotente, tamen petite aliquid magnum?

Leua ergo manus in oratione. Leuauit pro nobis Dominus noster manus in cruce, et extensa sunt manus eius pro nobis.

Augustinus Hipponensis, *Enarrationes in Psalms*, 62.13 (CCSL 39, E. Dekkers & J. Fraipont eds., p.801, ll.8-10).

[fons nondum repertus]

Eia, fratres, quando leuatis manus,  
quaerite quid petatis; ab Omnipotente enim petitis. Aliquid magnum petitie; non qualia petunt qui nondum crediderunt.

Augustinus Hipponensis, *Enarrationes in Psalms*, 62.14 (CCSL 39, E. Dekkers & J. Fraipont eds., p.802, ll.2-4).

Dives enim est omnibus invocantibus se.

[fons nondum repertus]

Non deficias in oratione. Ille concessurus est etsi differt non aufert,  
securus ergo roga in fide, et accipies, et si modo non accipies tamen.  
Nunquam fallere potest veritas, tu tamen serva fidem, et ille servabit pollicitationem.

Ergo non deficiamus in oratione. Ille quod concessurus est, etsi differt, non aufert;  
securi de pollicitatione ipsius non deficiamus orando; et hoc ex beneficio ipsius est.

Augustinus Hipponensis, *Enarrationes in Psalms*, 65.24 (CCSL 39, E. Dekkers & J. Fraipont eds., p.856, ll.25-28).

Itaque fratres bonus nuncius est oratio, orationis pure magna est virtus,  
et velut fidelis nuncius mandatum peragit et penetrat quo caro non pervenit.

Virtus magna purae orationis hic notatur, quae quasi persona quaedam ad Deum intrat,  
et mandatum peragit, quo caro pervenire nequit.

Petrus Lombardus, *Commentarius in Psalms Davidicos*, 87.2 (PL 191, col.811D).

Orationis virtus iacula subicit inimici. Oratio grandis est munitio anime  
per illam cuncta nobis utilia a deo tribuuntur, et noxia queque pelluntur.

[fons nondum repertus]

Et dominus quidem non facit aliqua que petuntur contra salutem, sed potius exhibet salutem.  
Novit enim medicus quid salutiferum quidve contrarium petat egrotus.

Itaque Dominus non faciens quod videt peti contra salutem, potius se exhibet Salvatorem.  
Novit enim medicus quid salutiferum, quid contra petat aegrotus.

Zacharias Chrysopolitanus, *De concordia euangelistarum libri quatuor*, 4.157 (PL 186, col.515A).